

(10)

Hafniae d. 20 Juni 1761.

Illustri Linnaeo

Equiti ordinis de Stella boreali,

Archiatro R. M. S.

Professori Upsaliensi,

S. P. D.

Georgius Christianus Oeder.

Dum Tibi, Vir Illustris, transmitto Programma de opere, Flora Danica dicto, quod una cum his literis ad te curabit Aulæ nostræ Legatus, jussu insuper regis promitto Tibi Exemplar ipsius operis cum iconibus pictis, donum munificentissimi Regis, qui uti artibus scientiisque utilibus, ita scientiarum clarissimis magistris favet. Tanto certius spero, Vir Illustris, Te non solum operis hujus inter vestrates benevolum commendatorem, sed et Instituti nostri Botanici totius, horti potissimum fautorem fore atque adiutorem, quem a Te petendi favorem et amicitiam adeo Tuam, cum saepius esset consilium, nulla mihi aptior visa est occasio quam praesens. Rogo itaque Te ut persuasus sis, tanquam in arte magistrum, qui ingenti ingenio totum naturæ regnum complectitur, labore omnia incredibili minute exsequentem, venerabundum me Te suspicere, et gratum fore studiosissimumque reddendorum officiorum, si Tibi placuerit nascenti nostro horto ex instructissimo Tuo impertiri partem seminum et radicum quæ Tibi supersunt. Nascitur hortus hic noster sub optimis auspiciis et proxima adeo privataque tutela Regis nostri, nec parcitur sumtibus, et redditus ego certæ sedi, post longam in Norvagia absentiam, positusque nunc in libero studio, sublatis impedimentis, et omnium gerendorum norma certa præfixa, in instruendo demum horto, replendo, adornando, studium operamque ponere nunc possum ponamque. Sunt nationi nostræ mercatura per plerasque partes orbis terrarum extensa, nonnullæ etiam extra Europam sedes s. coloniae, et supersunt nobis occasiones undique conquirendi plantas, quibus ut magis magisque utamur nec nobis ipsi desimus, elaborabo. Spes ergo